hoc simulantem videam, et aliquando apud vos, aut apud Deos immortales rerum humanarum cura oriatur, ut ille, qui sceleribus suis ferox atque praeclarus est, omnibus malis excruciatus impietatis in parentem nostrum, fratris mei necis, mearumque miseriarum graves poenas reddat. Jam jam frater animo meo charissime, quanquam tibi immaturo, et unde minime decuit, vita erepta est, tamen laetandum magis, quam dolendum puto casum tuum. Non enim regnum, sed fugam, exilium, egestatem, et omnes has, quae me premunt, aerumnas, cum anima simul amisisti: at ego infelix in tanta mala praecipitatus, ex patrio regno, rerum humanarum spectaculum praebeo, incertus quid agam, tuas ne injurias persequar ipse auxilii egens? An regno consulam? Cujus vitae necisque potestas, ex alienis opibus pendet? Utinam emori fortunis meis honestus exitus esset, ne vivere contemptus viderer, si defessus malis injuriae concessissem. Nunc neque vivere libet, neque mori licet sine dedecore, P: C: Oro vos per liberos atque parentes vestros, per Majestatem pop: Romani, subvenite mihi misero, ite obviam injuriae, nolite pati regnum Numidiae, quod vestrum est, per scelus et sanguinem familiae nostrae tabescere.

Erdmannus Milsner
Sora-Lusatus.

Oratio Adherbalis
ad
P. C.
Metaphrasi Vernacula
donata.

Mein Vater, Micipsa, [illegible] Herr Vater, hat mich bey seinem tödlichen Abtritt [illegible] und dieses befohlen, daß ich nichts anders mir einbilden solte, als daß einzig und allein der Nümidischen Königreichs Verwaltung mir, [illegible]